

**De veneficio per acidum sulphuricum : dissertatio inauguralis medica ... /
auctor Frider. Franc. Corn. Kipp.**

Contributors

Kipp, Friedrich Franz Cornelius.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. nietackianis, 1836.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/wd8zej5q>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE
**VENEFICIO PER ACIDUM
SULPHURICUM.**

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE SIBI CONCILIANDIS
DIE VI. M. AUGUSTI A. MDCCCXXXVI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR
FRIDER. FRANC. CORN. KIPP
GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:
FR. MUESER, MED. ET CHIR. DR.
H. EULENBERG, MED. ET CHIR. DD.
A. PLATE, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

CHICAGO

UNIVERSITY OF CHICAGO

CHICAGO

UNIVERSITY OF CHICAGO

CHICAGO

UNIVERSITY OF CHICAGO

CHICAGO

UNIVERSITY OF CHICAGO

CHICAGO

UNIVERSITY OF CHICAGO

CHICAGO

UNIVERSITY OF CHICAGO

CHICAGO

UNIVERSITY OF CHICAGO

CHICAGO

CHICAGO

CHICAGO

UNIVERSITY OF CHICAGO

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS,

AD CINERES USQUE COLENDIS,

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR

P r o o e m i u m.

Scribendi de rebus, quae ad artem medicam pertinent, quoddam jus eorum esse, qui ex diuturnis muneribus largam atque abundantem experientiam sibi conciliaverint, sine ulla dubitatione peritissimus quisque judicabit. Itaque nobis, a quibus aliena est praeclara illa experientia, nunc videtur venia opus esse, cum huncce libellum doctorum judicio in animo sit proponere. Sed quum omnes, qui medicam vitam ingrediuntur, chartis aliquid demandent, unde possit judicari, qualis sit ab iis expectandus fructus, haud dolemus, quod communem sortem non effugimus. Nuper circumspicienti mihi commentationis medicae materiam, animoque in eligendis ad tractationem argumentis fluctuanti meo, casus, ut nonnumquam fieri solet, succurrit. Opportune enim cecidit,

ut in clinico medico chirurgico, quod viget
Cel. *Truestedt* direttore, adessem sectioni certe
memorabili. Secabatur mulier, quae, quum
per acidum sulphuricum necare sese frustra
tentasset, saltu mortali mortem sibi conscive-
rat, de sanatione, hebdomadibus duodecim post
veneficium praeterlapsis, desperata. Casus sa-
tis dignus mihi videbatur, qui nostrae artis
peritis communicaretur; accedit, quod stimu-
los daret jam sponte Cel. *Truestedt*, vir eximius,
qui mihi, ut est ejus erga omnes humanitas,
numquam in hac re defuit. Ordinem singu-
larum argumenti partium hunc sequutus sum.
Prima pars continet nonnulla de toxicatione
per acidum sulphuricum, altera aegrotorum
historias. Ceterum commentationis benignos
et censores concupisco et judices.

Quam acidum sulphuricum, validissimum omnium acidorum, saepius, quam multa alia acida et venena, hominibus propter usum varium in officinis et multis fabricis praesto sit, etiam saepius hoc acido venenationes fieri solent, quam ob rem operis pretium est describendi decursum et curam hujus toxicationis.

PARS PRIOR

Nonnulla de toxicatione per acidum sulphuricum.

§. 1.

Symptomata venenationis

per acidum sulphuricum, ut fere per omnia acida, haec sunt: sapor acer, acidus, stypticus, valde ingratus, calor in gutture, oesophago et ventriculo urens, dolor asperimus in jugulo, fetor non tolerandus spiritus, nausea et vomitus excessivi. Materia vomitu evacuata mox coloris nigri, mox rubri a sanguine admixto, sensationem amaram et stypticam causat, et fervorem producit; alvus

subpressa, vel dejectiones alvi cruentae, dolor colicus tam atrox in omnibus abdominis regionibus, ut manus imposita vel levissimum corpus non toleretur; dolores pectoris, respiratio molesta, anxietas, animi angor; pulsus frequens, parvus, contractus, saepe irregularis; horripilationes et frigoris sensus; virium defectio, inquietudo et magna mobilitas, impossibilitas tenendi eandem positionem. Facies initio parum alterata, postero tempore omnino deformata; convulsiones musculorum faciei et labiorum; libra facultatum animi vis, et interdum eruptio papulorum in cute(1). Uvula, amygdalae, velum palatinum et omnes oris partes semper tectae sunt crustis albis vel nigris, quae dum solvuntur, aegrotum maxime irritant et tussim fatigantem movent; vox mutata et similis est voci eorum, qui angina membranacea laborant; interdum etiam inflammatio pharyngis et ventriculi cum pulmonibus communicatur, vel, quod saepius accidere solet, cum membrana laryngis interna, qua ex re tussis maxime dolorosa oritur. Morbi decursus reliquus fere nihil proprii praebet, et simillimus est inflammationibus aliis ex causis ortis.

In experimento, quo *Orphila* in magni canis ventriculum unciam circiter dimidiam acidi sulphurici diluti iniecit, statim respiratio difficillima facta est, canis clamores dimisit miserrimos, mutando semper positionem post horam dimidiam animam efflavit.

(1) cfr. cas. III.

§. 2.

Qualem habeat effectum, et quomodo mortem adducere possit acidum sulphuricum.

Acida, minore copia sumpta, plerumque ad ventriculum usque non perveniunt, praecipue, quum dolor vehementissimus et contractiones ex irritatione statim oriuntur. Hae contractiones jam superiore oesophagi parte incipiunt et vomitum movent, quam ob rem multa toxicationis pericula frustra eveniunt. Inflammatio quidem oritur, sed non talis, qualis mortem adducere soleat, nisi alia organa simul afficiuntur. Sed post sanationem ex tali combustionem stricturae oesophagi facillime et plerumque aut hypertrophia aut induratione telae cellulosaе, aut parietum a tela mucosa privatorum coalitu oriuntur, quae aegrotum summopere vexant, difficilem reddendo deglutitionem, imo eam omnino tollendo. Multi enim autores casus tradiderunt, quibus homines fame perierint, quia nihil cibi in ventriculum venire potuit. Exempla hujus rei afferunt: *Kunzius*(1), *Hallerus*(2), *Sempronius*(3) et multi alii. Majores copiae acidi saepius ad ventriculum perveniunt, rarissime autem in intestina tenuia, quia jam antea cum aliis liquoribus misceri, decomponi et resorberi videntur, nam affecti ventriculi parietes post celerem mortem ne reagentibus quidem acidum sulphuricum indicant. Si viro experientissimo *Or-*

(1) *Kunzius*, de dysphagia commentatio p. 47. 599.

(2) *Hallerus*, Disputat. ad morb. histor. Tom. III. p. 55.

(3) *Sempronius*, Miscell. Acad. nat. curios. Dec. I. ann. 3., obs. 170. pag. 326. etiam *Nahuy*s auserles. Abhandlungen Bd. IV. pag. 13.

philae(1) credendum est, qui cum hoc acido complura instituit experimenta, acidi sulphurici effectus in corpora viva hi sunt:

Acidum sulphuricum venis injectum coagulationem albuminis in sanguine efficit, et circulationis cohibitione mortem affert; quam opinionem casus(2) infra communicatus affirmare videtur. Accuratius autem huncce processum declarare difficillimum est, quamdiu sanguinis naturam parum novimus. Ex illa opinione acidorum vim stypticam in haemorrhagiis declarare possumus.

In ventriculum illatum inflammatione et gangraena, quarum effectus inimicus celerrime nervorum ramificatione in cerebrum reflectitur, mortem adducit.

Externe autem in cutem applicatum aut primo combustionis impetu aut abundante suppuratione mortem affert.

Si acidum ad ventriculum quidem pervenit, perturbationem autem lethalem non adducit, ulcera et intumescitiae facillime oriuntur. Si ulcera non sanantur, saepe per gastrobrosin, si sanantur, cicatricum rigidarum ruptura, fortuito orta, succus gastricus in abdomen effunditur, qui peritonitidem causat et tum semper mortem adducit. In intumesciente vel indurato vel strictura clauso ventriculo non morbus ex acido factus, sed ejus effectus necat, nam persaepe fame et siti moriuntur, quia cibi et interdum ipse potus per pylori angustiam penetrare nequeunt, cujus rei exemplum affert *Bartholinus*(3). Alio quoque loco(4) casus narratur, quo incrassatione mem-

(1) Orphila traité des poissons. Tom. 1, p. 2.

(2) vide cas. V. a me collectum.

(3) Bartholinus Cent. IV. histor. 47.

(4) Journal de Médecine 1757. mars.

brannarum pylori homo periit; ejusmodi casum infra enarrabo(1). Sed etiam alia ratione mors intrare potest; parietes enim oesophagi et ventriculi, cicatricibus et indurationibus ex acido corrorente tecti, vices tunicae mucosae deletae suscipere non possunt; nam neque succi gastrici quantitatem sufficientem producunt, neque jam assimilata cibi partem resorbent; cibi propter succi gastrici inopiam non concoquuntur; ac si etiam concoctio parietum sola frictione mechanica in sano ventriculo efficere-
tur, tum cicatricibus et indurationibus turbaretur, necesse est, quia motus ventriculi peristalticus impediretur. Cibus e ventriculo non concoctus egreditur, saliva autem, fel et succus pancreaticus non habent vim dissolvendam, cibus igitur crudus evacuatur, et intestina parum nutrimenti ex eo percipere possunt. Ita necesse est, ut homines mox incidant in maciem maximam et faeste miserrime moriantur. Exemplo sunt potatores; spirituosae enim diuturno usu eosdem habent effectus, quos acida minore copia vel intensitate assumpta. Sic *Bleulandius*(2) mentionem facit, ex abusu spirituosorum degenerationes et indurationes tunicae mucosae oesophagi et ventriculi oriri; saepe enim excoriationes et inflammationes per spirituosae effici, muco a spirituositate oblato, membranam facillime vulnerari, fibras contrahi, lumen oesophagi et ventriculi diminui.

Pohlius(3) ventriculum potatoris vidit ita contractum, ut haberet longitudinem sex pollicum, et latitudi-

(1) vide cas. IX.

(2) Janus Bleuland observat. anatomic. medicae p. 32.

(3) J. C. Pohl de callositate ventriculi ex potus spirituosae abusu. Lipsiae 1771.

nem trium cum dimidio. *Sibbern* (1) in cadavere potatoris, cui dirus hydrops diem supremum adduxerat, ventriculum ita corrugatum invenit, ut vix unciam dimidiam liquoris cujusdam cavo suo caperet; parietes pollicis crassitudine multis vasis tumidis instructi erant, in quibus sanguis coagulatus erat. *Plancus* (2) totam potatoris membranam ventriculi mucosam induratam et crassam vidit; *Stoll* (3) potatoris pylorum, quemadmodum vicinam quoque ventriculi portionem et initium intestini duodeni duros et crassos invenit. *Boerner* (4) pylorum potatoris callosum fuisse exponit, qua ex re vomitus insuperabilis ortus erat. Raro tales indurationes in ulcerationem transeunt, et perforatione necant; interdum autem oritur ex ulceratione parietum concrenentia. Talem observationem affert *Hildanus* (5), ubi aegrotus fame necatus est. — Si autem indurationes et scirrhus ventriculi, ut *Hutin* (6) contendit, ex inflammatione ventriculi oriuntur, fieri quoque potest, ut ex hac gastritidis specie oriatur scirrhus. Quum autem transitus in scirrhum longo tandem temporis spatio praeterlapso oriatur, si venenatio tentata diu oblivioni data est, facile intelligitur, cur tam raro scirrhi ventriculi exempla, e veneficio per acida orta, narrentur. Pugnat pro hac sententia obser-

(1) Tode mediz. chirurg. Biblioth. Bd. III. p. 194.

(2) Plenck acad. conject. pag. 101.

(3) Stoll ratio medendi III. p. 379.

(4) Boerner disquisit. anatom. de tabe sicca ab angustia pylori etc. Lipsiae 1752.

(5) Hildanus observat. lib. III. p. 20.

(6) Nouvelle Biblioth. médicale et Bulletin de l'Athénée Sept. 1825. — v. Frorieps Notizen aus dem Gebiete der Natur und Heilkunde. Bd. 12. (1826.) pag. 127.

vatio magni *Halleri*(1), in qua scirrhum ventriculi nimio aceti usu ortum descripsit, et *Gorritzii* observatio(2), cujus aegrotus malorum citrorum magnam assumserat copiam, et inde scirrho ventriculi periit.

§. 3.

Diagnosis.

Si venenati asphyxia correpti jacent, aut loqui non possunt, magni momenti in stabilienda diagnosi labiorum, linguae ceterarumque oris partium est color albus, chartae pergamenae similis, si singulis locis etiam epithelium jam deficit. Ceterum harum partium tumor, deglutitio impedita, vox rauca, dolor oris, pharyngis, oesophagi et ventriculi multum conferre possunt ad cognoscendam venenationem. Sed quum haec omnia symptomata acidis omnibus corrodentibus propria sint, enarratio anteactorum lucem afferre debet, ut medicus veram rerum naturam cognoscat. Omnibus reliquis toxicationis argumentis deficientibus, exploratio acidi in ore vel in iis materiis per reagentia instituenda est, quae vomitu ejecta sunt.

§. 4.

Prognosis.

Semper copia sumpti acidi respicienda erit; magnae enim quantitates sumptae malam tantum aut pessimam prognosin admittunt, qua in re auxilium medicum magni momenti esse potest; quo citius pars acidi diluitur et neutralisatur, eo minus destructione partium nocebit. Minores acidi quantitates, aut acida aliis liquoribus di-

(1) *Haller opera minora* Tom. III. p. 306.

(2) *Gorritz Ephemer. nat. curios. cent. obs. 20. p. 282.*

luta, meliorem reddunt prognosin, quum ad ventriculum usque non venire aut minus corrodere soleant. Prognosis hac in venenatione eo magis dubia esse debet, quia morbi secundarii, ut gastritis chronica, indurationes, stricturae et atrophia ex iis orta haud raro vitae finem imponunt. Ceterum prognosis nihil proprii praebet praeceteris harum partium inflammationibus.

§. 5.

C u r a.

Prima in quadam toxicatione indicatio est, ut auferatur venenum; quum acidum sulphuricum autem partes tantum corrodat, quas tangit, nec, ut alia venena, in nervos vim suam exerceat, fieri plerumque non potest, quin omne acidum per vomitum e corpore efferatur, nisi jam sponte oesophagi contractionibus vomitus oritur, et descensum acidi ad ventriculum cohibet. Primo igitur diluentia et involventia, quae vim corrodentem debilitent et una vomitum accelerent, ut larga lactis copia, vel emulsiones et, si nihil aliud adsit, larga aquae copia danda est. Altera indicatio expletur, si cum his materiis remedia neutralisantia conjungantur, quorum validissimum vir experientissimus *Orphila* (1) magnesiā carbonicā laudat. Praeterea multa alia exstant, ut magnesia usta, kali carbonicum, natrum carbonicum, aqua calcis, liquor saponis; omnibus autem aliis deficientibus, pulvis cretae cum aqua detur. Tertia erit indicatio, irritationis diminutio et eorum morborum cura, qui ex toxicatione oriuntur, quae indicatio per curam inflam-

(1) *Orphila toxicologie* I. c.

mationum partium affectarum expletur. De ulcerum ventriculi sanatione hoc tantum mihi dicendum est:

Quum ulcera per acidum sulphuricum facta simillima sint ulceribus in corporis superficie e combustione ortis, eorum sanatio fortasse iisdem remediis effici potest, quibus illa sanantur. Ut compertum est, aqua calcis in vulneribus, combustione factis, felicissimo cum eventu adhibetur; igitur secundum Ill. *Truestedt* propositum illud medicamentum hoc modo interne quoque dari potest, ut quasi remedii externi vim exerceat, sicut hydrargyrum muriaticum mite majoribus quantitatibus in gastroenteritide adhibetur; praecipue quum una vim diureticam et eccoproticam habeat; sed in ejus usu vitanda sunt omnia acida, quia per ea aqua calcis decomponitur, et salia insolubilia oriuntur. Optime dari potest cum lacte, cum juscula carnis, aut cum mucilaginibus juncta, sed non cum adstringentibus, ut cortice chinae, quibus quoque decomponitur, et alvi obstructions efficit. Adstringentia simul indicata in intervallis dari possunt.

§. 6.

De iis, quae cadaverum sectio ostendit et docet.

In sectione canis acido sulphurico necati, tunica mucosa ventriculi nigra facile solvenda, tela musculosa nonnullis locis rubefacta, non arrosa inveniebatur; duodenum monstrabat tegmentum internum luteum, crassum, flocculosum, facile amovendum. Sanguis ventriculorum cordis coagulatus, gelatinae similis, e rubro nigrescebat. Pulmones parum crepitantes, colore nigro maculati erant. Invenitur in cadaveribus hominum, qui mox succubuerant, labiorum epithelium album, oris membrana mu-

cosa combusta, densa, aut soluta, aut facile solvenda, interdum tela cellulosa, imo musculosa, sine tegmento oculis se praebet. Haud aliter se habet pharyngis et oesophagi et ventriculi membrana mucosa, nisi gangraena jam aderat, quae partes diruerat aut perforaverat. In aegrotis serius tandem mortuis inveniuntur, praeter stricturam, vulgo cicatrices ulcerum et excoriationum acido effectarum et indurationes, quae praecipue sedem habent in tela cellulosa inter tunicam mucosam et muscularem, quod jam *Pohlius* (1) contendit. Neque *Meckel* (2), neque *Krukenberg* (3) aliam ventriculi partem, nisi telam cellulosa, indurationis sedem in multis cadaverum sectionibus inveniebant, idemque sentiunt hac de re *Hildebrandt* (4), *Billard* (5) et alii, quos omnes citare non hujus loci est. Nisi excoriationes nimiae magnitudinis erant, regenerata tunica mucosa inveniri, sed non tam ad absorbendum et resorbendum apta esse videtur; deficit enim textura flocculosa, et superficies mucosa. *Cruveilhier* (6) autem regeneratam telam mucosam a naturali non valde discrepantem se vidisse contendit.

(1) J. C. Pohl de callositate ventriculi ex potus spirituosius abusu. Lipsiae 1771.

(2) J. F. Meckel, Handbuch der pathol. Anatomie. Bd. 2. Abth. 2. Lipsiae 1818. p. 358 seq.

(3) Krukenberg, Jahrbücher der ambulatorischen Klinik in Halle. 1824. Bd. 2. p. 265.

(4) F. Hildebrandt, Handbuch der Anatomie von E. Weber. Braunschweig 1832. Bd. 4. p. 268.

(5) Billard, die Schleimhaut des Magens u. Darmkanals im gesunden sowohl als krankhaften Zustande. A. d. Französ. übers. v. F. Urban. Leipz. 1828.

(6) J. Cruveilhier, Médecine pratique éclairée par l'anatomie et la physiologie. premier cahier, p. 154.

PARS ALTERA.

Nonnullae morbi historiae.

CAS. I.

Josephus Parangue, miles, errore quodam vitrum acido sulphurico repletum, uno haustu, loco aquae vitae, evacuavit. Mox sequutus est vomitus excessivus, spasmus musculorum, praecipue faciei, dolores vehementissimi oesophagi et ventriculi, calor cum cutis frigore alternans. Praeter largum potum ei data est magnesia carbonica in aqua soluta ad neutralisandum acidum. Diebus insequentibus symptomata inflammationis ventriculi non decrant, quae vero curae rationali praesertim antiphlogisticae mox cesserunt. Aegrotus praecipue vexatus est pharyngis, linguae, epiglottidis et amygdalarum intumescencia, ita, ut suffocatio timenda esset; vox mutata simillima erat voci eorum, qui angina membranacea laborant. Die post intoxicationem septimo aeger non amplius in periculo versabatur, et nihil fere detrimenti ex ea venenatione percepit, nisi interdum sensationem dolorosam pharyngis et ventriculi, praecipue si cibum largum et difficile assimilandum sumserat (1).

CAS. II.

Pictor quidam tempore nocturno, siti defatigatus, lagenam, cui aquam inesse credidit, acido sulphurico impletam, sumpsit, celeriter autem errorem sentiens, bibit nonnullas tantum guttas, ita ut quantitas non sufficeret, quae in ventriculum venire potuisset; attamen tan-

(1) Recueil périodique de la société de Paris, rédigé par Sédillot, Tom. VI, p. 3, an. 7 par M. Desgranges.

tum effectum habuerunt, ut per plures hebdomades nihil devorare potuerit, et clysteribus nutrientibus vita ei sustentanda esset. Num oesophagi strictura postea laboraverit, nobis cum non communicatur (1).

CAS. III.

Medicinae studiosus puellae cariei dentis cum acido sulphurico mederi voluit, casu quodam nimia copia in os, pharyngem et ventriculum effusa est, quae inflammationem telae mucosae adduxit. Paulo post eruptio papulosa cum sordidis crustulis, plumbi similibus, in universa corporis superficie apparuit, quam bona valetudo sequuta est (1).

CAS. IV.

Luise Delay, viginti duos annos nata, unciam unam compositionis ex indico et acido sulphurico sumsit. Oleum et lac statim data sunt; quatuor post veneficium horas in nosocomio, quod nominatur »Hotel Dieu«, recepta est, in quo omnia adhibebantur, quae ad ejus salutem pertinebant. Nihilo minus mox vomitus frequentissimus et vehementissimus, frigus, horripilationes et omnia gastritidis acutae symptomata sequuta sunt. Dolores tam vehementes erant, ut inquietudo omnem depelleret somnum; potus, imo rerum mucilaginosarum, plerumque vomitu ejiciebantur. Materia vomitu emissa multos floccos lymphaticos continuit, qui partim praecipitabantur, partim in aqua natabant. Pulsus, jam die altero frequens, parvus et serratus erat; extremitates frigidae, facies deformata. Diebus ultimis pulsus brachii et caro-

(1) Journal de médecine, Avril 1810, par M. Pingusson.

(2) Tulpe observat. medic.

tidum non percipiendus, urina guttatim defluens, inquietudo in diem aucta, vomitus continuus mortem quinto decimo tandem die intrantem indicabant.

In sectione haec inventa sunt: Ex alvo aperta magna aëris copia, foetidum odorem praebentis, avolavit. Intestina omnia oedematosa, viscera duodeno vicina omnia mutata videbantur; parietes hujus intestini pluribus in longitudinem locis fere dissoluti erant; ventriculus valde dilatatus, ejus color saturatior, diversis in locis praebebat maculas, quae maximam desorganisationem indicabant. Ceterum ventriculus partim crassus et induratus, partim tenuatus erat. Pharyngis et oesophagi tela mucosa combusta e rubro nigricans, partim remota, partim facile removenda. Ventriculus continuit massam liquidam, turbulentam, foetidam, coloris saturati, et vomitu die ultimo ejectae simillimam. Tela interna ventriculi dissoluta et tota expansione in mucositatem reducta erat. Pylorus maximam praebebat desorganisationem; textura parietum erat nigra et ita tumida, ut fere totum orificium clauderet; duodeni et jejuni membranae partim destructae et combustae; obiecta erant ea intestina pariete interno materia fusca, ei simillima, quae ventriculo inerat; reliqua intestina in eadem fere conditione versabantur (1).

CAS. V.

Puer annorum duorum acidi sulphurici diluti parvam quantitatem bibit; statim a parentibus animadvertiebantur maculae albae labiorum et linguae. Paulo post

(1) Tartra, essai sur l'empoisonnement par l'acide nitrique pag. 251. ann. 1802.

datum est kali carbonicum siccum in aqua solutum. Chirurgus advocatus invenit parietes totius oris albos et chartae pergamenae similes. Lac, magna copia datum, mox vomitum effecit, quo etiam multi cibi crudi prolati sunt. Deglutitio difficilis et dolorosa erat; praeter lac etiam oleum lini et clysmata e lacte cum oleo adhibita sunt. Vulgo sequebatur vomitus deglutitionem, quae ita turbata erat, ut ingesta sono cavo et rauco in ventriculum deciderent. Primis post veneficium horis glandulae salivales irritatae multum salivae secernebant, horis ultimis saliva tenax, muco similis, secernebatur. Duodecima post veneficium hora puer animum efflavit.

Sectio: Cerebri vasa et pulmonum contextus, cordis sinus dexter et venae pectoris sanguine coagulato repleta; pulmonum color naturali nigrior. In pleurae saccis circa unciae quatuor liquoris rubicundi inventae sunt. Hepar, splen et renes magis, quam solet, sanguine repleta; gingiva, palatum et lingua pallidissima, linguae epithelium crassum, albidum, et partim facillime amovendum. Pharynx et oesophagus, nisi paullulum rubriores, sani; in ventriculo supra pylorum unus tantum locus niger et elevatus videbatur; membrana nigra non abstergenda erat, vi autem soluta, pars, cui insederat, saturate rubra prospiciebatur. In ventriculi obtentis et membranis per experimenta chemica nihil minerale detegi potuit, in reliquis intestinis nihil memorabile (1).

CAS. VI.

N. Sch. aegra filiam medicamentum afferre jussit;

(1) A. Henke, Zeitschrift für Staatsarzneikunde. Bd. X. S. 302. 1825.

filia attulit medicamento loco acidum sulphuricum casu quodam praesens. Sumsit mater vasis cochlearii repleti quantitatem, sed statim, saporem ingratissimum sentiens, exspuit. Labia, lingua, gingiva et palatum combusta mox sanata sunt; dentes autem primo nigrescebant, et, quia eorum substantia vitrea ab acido deleta erat, postea fere omnes sensim fracti et elapsi sunt (1).

CAS. VII.

Vir annorum quadraginta, vitae taedio motus, haud parvam olei vitrioli copiam sumserat et die altero mortuus erat.

Sectio inflammationem oris, pharyngis et oesophagi, ventriculi autem gangraenam mortem attulisse docuit (2).

CAS. VIII.

Juvenis rusticus, viginti annos natus, errore quodam, loco remedii cardiaci, olei vitrioli guttulas sexaginta sumserat. Quum autem mox dolores oris, oesophagi et ventriculi intrarent urentes, periculum horribile suspicatus est. Medicus advocatus ne aptissimis quidem remediis aegrotum servare potuit; septimo die periit. Ex ejus morbi historia hoc tantum notum est, aegrotum interdum vomuisse substantiam membranaceam.

Sectione instituta, in cranii cavo nihil memorabile inveniebatur, membrana oris insoliti erat coloris albi, valde dura, variisque locis excoriata. Quum fauces cum ventriculo solutae et resectae aperirentur, secundum longitudinem universa earum membrana villosa sponte usque ad ventriculum soluta, cecidit, ita, ut in tunica nervea

(1) Observatio Halae a me facta.

(2) Jos. Bernt, Beiträge zur gerichtlichen Arzneikunde. Bd. V. S. 91.

nudata ne residuum quidem ejus prospiciendum esset. In ventriculo inventa sunt magna fragmenta tunicae villosae, ab interno ipsius ventriculi pariete soluta. Ceterum ventriculus et duodenum valde inflammata reperiiebantur (1).

CAS. IX.

Caroline Mor . . . , viginti octo annos nata, ob lascivam vitam aliarumque rationum causa, acidi sulphurici venalis sumsit copiam non notam, cujus facti proximi effectus, inflammationes nempe tractus intestinalis, vomitiones et vomitus, cura antiphlogistica praecipue sanguinis detractionibus topicis, remediis involventibus, serius curatione per lactis usum, quodammodo mitigati sunt. Quo mitiora ea symptomata sunt reddita, eo difficilior deglutitio fiebat, ita ut aegrota saepe viginti quatuor horis nihil assumeret, aut, si demum tandem quidquam nutrimenti in ventriculum pervenisset, statim vomitu rursus muco admixtum dejiceretur. Somnus eam fugiebat, alvus clysteribus tantum aperiebatur. Quod autem eam maxime vexabat, erat dolor in ventriculi regione et nausea perpetua. Deglutitio valde impedita, nam saepe, si quid, etiam blandissimi nutrimenti, ut vitellum ovi cum saccharo, devorasset, aegra in ea oesophagi parte, quae supra sternum sita est, haerens sensit et statim, nulla alia re admixtum, vomitu remotum est, quae res suspicionem stricturae et oesophagi et pylori movebant. Quamquam, ut jam demonstratum est, aegra fere nihil cibi teneret, tamen alvi dejectiones, per

(1) C. W. Hufeland, Journal der practischen Arznei- und Wunddarzneikunst, Bd. VII, St. 2, S. 18.

clysteria evocatae, largae et normales erant. Duobus mensibus praeterlapsis, ventriculus adhuc statum minore gradu inflammatum praebebat; nam manus imposita dolores movebat et regio epigastrica intumefacta erat, quare applicatio hirudinum postulabatur, quae vero ob virium defectionem non saepe repetita est. Magis placuit emplastrum vesicatorium supra locum affectum adhibere, cujus secretio sustentata est. Remedia quoque interna meliorem aegrotae conditionem non adducebant, quia statim ejiciebantur; aquae calcariae lacti mixtae aliquantulum interdum remansit; hoc remedium etiam formaclysteriorum applicatum aegrotae levamen adduxit, quum magnam copiam materiae nigrae, pici liquidae similem, amoveret. Vires hac ratione sustineri non potuerunt; intrabant febris hectica et deliria, quae per plures hebdomades durabant, tamen intellectu difficillimum est, quomodo vita per tantum temporis spatium sustentata sit. Demum post tres menses, summopere defatigata morti proxima, per saltum e fenestra vitae finem posuit.

Sectionis relatio.

Oris membrana jam regenerata, quamquam sparse cicatricibus instructa, partim densior facta; pharyngis et oesophagi membrana interna condensata, fere callosa, tota longitudine coangustata, multis cicatricibus oblecta, et strictura in regione superiore sterni fere clausa inveniebatur. Ventriculus quoque, fere tota extensione callosus et induratus, ad cardiam duas praebebat rupturas, quatuor et sex pollices longas, quae saltu e fenestra in parte tam rigida facillime oriri potuerunt; ceterum facies interna ventriculi comparanda erat tabulae latrunculariae, nam cicatrices combustionis eam prope quadra-

tim dispartiebant; cicatrices ipsae prominentes et asperae videbantur, membrana mucosa, paucis tantum locis inlaesa, rubrum colorem praebuit. Pylorus induratus et tumefactus ita clausus erat, ut vix specillo tenuissimo transitus concederetur. Prope pylorum multae degenerationes inaequales prominentes et ulcerum cicatrices sitae erant. Membrana duodeni mucosa sana videbatur, nam neque cicatrices habebat, neque mucositatem omiserat. In reliquis visceribus nihil memorabile inventum est praeter maciem ingentem, qua splenis minimi contextus ita mutatus videretur, ut colorem e flavo fuscum induerit, et glomeruli filis pendentes conspicerentur (1).

CAS. X.

Joan. L., triginta et unum annos natus, constitutione debilis, se circiter unciam dimidiam olei vitrioli sumsisse et ejus magnam partem devorasse, narrabat. Statim vehementissimus ardor, nausea, et paulo post vomitus materiae fuseae et acidulae oriebantur. Facies post tres horas pallida, extremitates frigidae, animus prostratus et anxius; lallans tantum loquutus est, conquerebatur ardentem dolorem cavitatis oris, qui per collum et pectus usque ad scrobiculum cordis vergebat; impressio horum locorum dolorosissima.

Vomitum statim evocabatur, quoties aeger ob sitim insatiabilem aquam biberet; simul contractiones spasticae gutturis oriebantur. Anguli oris tumefacti, locis singulis epithelio privati, et crustis superficialibus tecti erant. Os maximis tantum cum doloribus aperiri potuit; omnes ejus partes, gingiva, palatum, uvula et pharyngis paries po-

(1) Casus in clinico medico-chirurgico Berol. observatus.

sterior tumefactae et epithelio mortuo albo tectae erant. Apparebant maculae fuscae et papillae rubrae in lingua, cujus combustio ita vehemens, ut ne vestigium quidem epithelii remanserit. Pulsus inventus est frequens, magnus, plenus et tensus, respiratio frequens, vox rauca. Statim venaesectio librae unius facta et viginti quinque hirudines ad regionem epigastricam, deinde glacies ad collum et epigastrium applicata sunt. Ad usum internum aqua saponis ad neutralisationem acidi et, quum aeger hanc evomisset, hoc medicamentum datum est:

Recp. Emulsionis communis ℥vi
 Aquae laurocerasi ℥℥
 Magnesiae carbonicae ℥j
 Syrupi simplicis ℥j

m. d. s. singulo semihorio cochlear magnum sumendum.

Pro potu aqua glacialis adhibita est. Post venaesectionem aegrotus quietior erat, sub vespere febris intravit; pulsus quidem frequens, sed non tam tensus, quam antea; somnus propter dolores et inquietudinem nullus.

Die insequente cutis extremitatum frigida, facies calida, sudore tecta; vomitu continuo substantia liquida, tenax, flocculis mucosis mixta, prolata est. Oris partes internae valde inflammatae et tumidae; deglutitio imo fluidorum maxime dolorosa, et attactus in regione cordiae non tolerabatur; pulsus frequens, plenus, mollis. Denuo venaesectio librae unius instituta, et ad usum internum data est emulsio communis cum aqua laurocerasi. Glacies quoque iterum adhibita; sub vespere febris summum assequuta est, et pulsus sexagesima quoque horae parte centies et trigesies micuit. Ne liquida

quidem devorari potuerunt, sitis glacie mitigabatur. Magni faucium dolores usum viginti quinque hirudinum postulabant, quibus dolores diminuti sunt, tamen insomnis noctem egit aegrotus. Tertio die status periculosissimus videbatur, febris vehementissima, pulsus frequentissimus, parvus, vacuus; magna inquietudo, demissio animi, aeger non querebatur, pressionem ventriculi et colli pertulit, nihil devorare potuit, vomituritiones aderant, sed vomitus ipse cesserat. Faciei collapsus et cetera symptomata ventriculi gangraenosi suspicionem movebant, quam ob rem cura tantum palliativa instituta, et hoc medicamentum praescriptum est:

R^x Morphii acetici gr. j.

solve in aquae destillatae 3j

M. D. S. omni hora guttulae decem sumendae.

Hoc die numerus arteriarum pulsationum diminuebatur, temperatura aequalior facta, dolores remoti erant. Quarto die pulsus parvus, vacuus, mollis, filiformis, cutis frigida, lingua arida, singultus cum respiratione frequente et superficiali, anxietas, inquietudo, parva urinae copia, alvus non amplius aperta, frons sudore frigido et glutinoso tecta, mortem instantem indicabant, quae quinto tandem die tempore matutino vitae finem imposuit. Cadaver, ob venenationem iudicibus traditum, quinto vel sexto tandem die sectioni submissum est, sed nihil inde comperiri potui (1).

CAS. XI.

E. D. ancilla, viginti duos annos nata, indignabunda ob dominorum detrectationem, quantitatem non notam

(1) Casus observatus in nosocomio Caritatis Berolinensi.

acidi sulphurici sumserat; post duas horas medicus accessit remedia demulcentia et involventia, praecipue oleum ricini, praescripsit. Deinde, in nosocomium Caritatis lata, haec praebebat symptomata: faciem rubram, cutem calidam, linguam rubram, ad radicem albam, sine tumore, oris reliquas partes etiam albas, vomituritiones; in epigastica regione dextra et media magnus dolor sentiebatur, si manus imposita est. Hae regiones elevatae et tensae videbantur; pulsus frequens, plenus, ad duritiem inclinatus. Triginta hirudinibus ad regionem epigasticam applicatis, hoc medicamentum praescriptum est:

Rp. Emulsionis oleosae ℥Vj

Aquae laurocerasi

Sacchari albi ana ℥℞

m. d. s. singula hora cochlear ordinarium sumendum.

Aegra noctem quietam peregit, doloribus non irritata. Secundo die alvi missio larga sequuta est. Propria erat urinae retentio, quae jam viginti quatuor horas, sine ullo inflammationis vesicae signo, duraverat; ob eam rem, suspicione naturae spasticae mota, cataplasmata emollientia in vesicae regionem applicata, urinae missionem effecerunt. Symptomata gastrica jam tertio die fere omnia cesserunt, praeter dolorem in ea regione, qua situm est colon descendens. Aegra paulo post sanata dimissa est. (1).

CAS. XII.

El. F., ancilla, annorum undeviginti, desperata de amati perfidia, circiter unciam dimidiam acidi sulphurici venalis bibit, sed paulo post maximam acidi partem vo-

(1) Cas. observatus in nosocomio Caritatis Berolinensi.

mitu ejecit. Post tres horas, quum in nosocomium Caritatis lata esset, vomitus jam cesserat, labia, gingiva et lingua, magna extensione combusta, et epidermide alba, mortua tecta erant. Aegra vultu turbata miserrime dolores urentes oris, pharyngis et oesophagi ad ventriculum usque conquesta est, qui vero tactu non augebantur. Interdum contractiones pharyngis spasticae intrabant, et maxima tantum difficultate summisque doloribus effectum est, ut liquor aliquis deglutiretur. Pulsus non valde affectus, sed fortis, et corpori valido aegrotae aptus. Aegra semper se movebat et suspiria dimittebat. Ad neutralisationem acidi solutio kali carbonici data, et tum venaesectio facta est librae unius et dimidia, ut inflammatio instans tractus intestinalis averteretur; ad potum aqua glacialis data est. Somnus nullus per noctem, ad matutinum tandem tempus levaminis quidquam intrabat. Altero die hirudines quindecim ad collum applicatae, postea fomentationes frigidae factae sunt. Emulsio communis cum aqua laurocerasi et saccharo ad usum internum dabatur. Sub vesperum symptomata aucta sunt, dolores in regione epigastrica extensa et calida urentes et vehementes; aegra inquietissima, sed feбри non affecta. Viginti hirudines ad epigastrium parvum tantum levamen attulerunt. Tertio et quarto die status idem mansit, praeter febrem sub vesperum intrantem. Ut paucis verbis dicam, cura antiphlogistica, praecipue saepius adhibitis hirudinibus et clysteribus aperientibus, post paucos dies contigit, ut aegrota in reconvalescentium numerum recipi posset (1).

(1) Cas. in nosocom. Caritat. Berol. observatus.

CAS. XIII.

Ch. K., puella publica, viginti quinque annorum, quum amatum virum apud aliam puellam vidisset, ita animo affecta est, ut e vita excedendi consilium caperet; itaque acidi sulphurici concentrati circiter uncias duas sumpsit, superavit oris dolorem, sed in faucibus tanta orta est contractio, ut vomeret, quo facto, mortuae similis, humi strata inventa est. Quum rursus animi compos facta esset, denuo vomuit et fere quinque mensuras lactis brevi temporis spatio bibit; tum chirurgus advocatus venaesectionem instituit. Paucis horis praeterlapsis, in nosocomium Caritatis lata, inquietissima summo-pere orabat, ut liberaretur a doloribus et suffocationis periculo. Vox rauca, deglutitio valde difficilis, epithelium, cavum oris tegens, albidum, valde rugosum; in basi linguae excoriationes reperiiebantur; dolores maximi in parte superiore oesophagi, minores in cardiae regione. Pulsus frequens, parvus, tensus. Vomitus largus majoribus intervallis iteratus est. Statim solutio kali carbonici data, tum praescriptum est:

R^j Saponis medicati ʒijj.

solve in aquae fervidae ℥jj.

adde eleosacchari menthae ʒjj.

m. d. s. sexto quoque horae spatio uncia sumenda.

Hoc medicamento dolor cardiae sedatus, oesophagi et oris mitigatus est. Paulo post venaesectio librae unius facta et ad collum et epigastrium triginta quinque hiru-dines et clysteria cum aceto applicata, quae sedes tres largae sequutae sunt. Non praetereundi sunt dolores, quos aegra inter devorandum in utraque aure sentiebat, verisimiliter per affectionem tubarum Eustachii. Crevit

sub vesperum tumor faucium; aegra magna virium intentione per vomitum materiam ejecit ex lymphâ coagulata et membrana mucosa deleta, latitudine pollicis, longitudine duorum pollicum, et crassitie duarum linearum constantem. Noctis maximam partem in somno peregit. Altero die morbi symptomata praecipue sub vesperum aucta, venaesectionem unciarum octo postulaverunt. Vomitus cesserat, aqua glaciei guttatim tantum deglutiri potuit. Tertio die ei praescriptum est:

℞ Olei amygdalarum dulcium ℥ij.

Aquae florum aurantii ℥jv.

Gummi mimosae ℥j.

Extracti hyoscyami gr. Xij.

Syrupi althaeae ℥j.

m. d. s. quadrante singula horae parte drachma sumenda.

Quum deglutitio vespere difficilior et dolores majores, pulsus frequens non absque duritie apparerent, venaesectio denuo unciarum octo instituta est, quae symptomata diminuit. Quarto die hirudines octo ad collum necessariae erant, ceterum aegra jam melius, sine aurium doloribus, deglutiebat. Sensim sensimque etiam blandum cibum sumsit, febris evanuit, alvus sponte dejiciebatur, et jam die octavo post veneficium, quamquam magna sanguinis copia amissa erat, fluxus mensium solito tempore intrabat. Quum sanata e nosocomio exiret, nihil sese accepisse detrimenti ex illa toxicatione contendebat.

V I T A.

Ego *Fridericus Franciscus Cornelius Kipp*, confessioni evangelicae addictus, die XV. mensis Augusti, anni hujus saeculi decimi tertii, natus sum Hoerdæ, oppido Guestphaliae, patre *Friderico*, et matre *Luisa*, e gente *Suemmermann*, quos parentes, infinite de me meritos, adhuc in vivis esse gratissimo erga deum animo laetor. — Primis literarum elementis imbutus, gymnasium Tremoniense usque ad annum decimum nonum frequentavi. Maturitatis testimonio instructus, anno hujus saeculi trigesimo secundo Bonnam ad Rhenum me contuli, ubi a magnifico t. t. rectore *Walther* in civium academicorum numerum receptus, et ab Ill. *Harless*, t. t. decano spectatissimo, in album facultatis medicae inscriptus sum. Hisce ibi scholis interfui: Ill. *Mueller* de encyclopaedia et methodologia medica, Ill. *Mayer* de anatomia corporis humani, de anatomia comparata et de physiologia; Ill. *Weber* de osteologia et arte cadaverum sectiones rite instituendi; Dr. *Bobrik* de introductione in philosophiam, de logice et psychologia; Ill. *Bischoff* de physice et chemia; Ill. *Noeggerath* de mineralogia; Ill. *Goldfuss* de zoologia; Ill. *Treviranus* de botanice. Anno praeterlapso me Halam contuli, ubi ab Ill. *Pernice*, t. t. prorectore, in civium academicorum numerum receptus, apud decanum medicorum ordinis *Beat. Dzondi* nomen professus, hisce scholis interfui: Ill. *Krukenberg* de pathologia tam generali quam speciali; Ill. *Friedlaender* de pharmacologia et historia medicinae; Ill. *Blasius* de chirurgia, akiurgia, arte fascias rite applicandi, nec non de operationibus ophthalmicis; Ill. *Niemeyer* de arte obstetricia; *Beat. Baumgarten-Crusius* de psychiatria; Dr. *Moser* de arte cadavera rite dissecandi. Scholis clinicis medicis et chirurgicis Ill. *Krukenberg* per unum, Ill. *Blasius* per dimidium interfui annum. Anno hujus saeculi trigesimo quinto alnam hanc petii academiam Berolinensem, et civibus academicis adscriptus sum ab Ill. *Steffens*, t. t. rectore magnifico, Ill. *Busch* t. t. decano spectatissimo et exer-

citationibus clinicis medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis et obstetriciis virorum Ill. et Cel. *Rust, Truestedt, Wolff, Juengken, Dieffenbach, Busch* et *Barez* interfui, quibus viris omnibus summopere venerandis, pro summis de me meritis, gratias ago quas possum maximas.

Ut legi reipublicae satisfaciam, per annum auspiciis Cel. *Richter* in legione praetoriana, quae nomen ducit ab imperatore Alexandro, chirurgi militaris munere voluntarius fungor.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico, quam medico, et examine rigoroso, rite superatis, spero fore ut, dissertatione et thesibus defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

T H E S E S.

1. Medicus ipse remedium.
 2. In morbis cordis pulsum conditio non magni momenti est.
 3. Moderatum diaetae regimen saepe gravissimos morbos chronicos solum sanat.
 4. Dilatationes et diverticula tractus intestinalis iisdem ex causis oriri nego.
 5. Post pastum quies magis prodest quam motus.
 6. Graviditatis initio nullum certum signum.
-